

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 8. Multi autem vestimenta sua strauerunt in via: alij autem frondes caedebant de arboribus, & sternebant in via.

Num. 9. Et qui praebant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna.

Num. 10. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Benedictum, quod venit regnum Patris nostri David, Hosanna in excelsis.

Luc. 19. n. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

Num. 37. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, ceperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus.

Num. 38. Dicentes: Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini: pax in caelo, & gloria in excelsis.

Ioan. 11. n. 12. Turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audisset, quia venit Iesus Ierosolymam.

Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

EXPOSITIO IV.

72.



LVPRIMA autem turba, seu plurimi ex turba. Strauerunt vestimenta sua; seu extenderunt, seu supposuerunt pallia sua, seu vestes suas; in via: per quam Iesus pergens erat cum suis discipulis, quod erat eximij amoris, honoris, ac reuerentiae signum. Exemplum discipulorum, qui imposuerant vestimenta sua super animalia, quo turbae fuerunt prouocatae, etiam superauerunt sternentes in via. Alij autem caedebant ramos de arboribus oleis, & palmis, quarum illic erat multa copia, & sternebant in via. Per foliorum viriditatem suam laetitiam indicabant celebrantes Christi Iesu triumphum.

73.

Turbae autem, quae praecedebant, illis nempe, qui erant in comitatu Iesu, haec autem turba non erat ex ciuitate, sed ex illa, vt explicat Ioannes, quae venerat ad diem festum. Quae tanta erat, vt

scribat Iosephus lib. 2. de Bello Iudaico cap. 13. Cestio Syria praesidi Ierosolymam Paschae diebus aduentanti occurrere ex vrbe facile tricesies centena millia hominum clamabant gratulantes, ac latantes. Hosanna Filio David; id est, saluum fac Filium David, salutem praesta filio David. Desumptum est ex Psalmo 117. num. 25. O Domine saluum me fac, Hebraice est: Hosanna. O Domine prosperare, solita erat acclamatio apud Iudaeos, qualis hodie apud nos cum dicitur: Viuat Rex. Dicitur deinde: Filio David: quasi dicatur. Messias sit omnis felicitas. Viuat Messias. Benedictus, qui venit in nomine Domini; prosper sit aduentus eius, qui a Deo missus est. Hosanna in altissimis. Salua eum petimus, tu qui habitas in altissimis.

Iosephus.

Psal. 117.

QUESTIO XIII.

Quare Christus tanto apparatu, tamque fausta acclamatione ingreditur Ierusalem breuissimè duratura?

PRIMA, & communis ratio literalis, vt ipse ex prophetia Zachariae demonstratur verus Messias. Vt saepe dixi ex Chrysof. Theophyl. & alijs. Secundò vt responderet Dominus typo Agni Paschalis, hic enim decimo die mensis primi, solemni pompa inducebatur in urbem, immolandus die decimo quarto: Sic Christus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, die decimo, scilicet in die Palmarum ingreditur Ierusalem, immolandus die decima quarta pro salute totius mundi.

74.

Typus Agni Paschalis.

Tertiò D. Ambrosius in cap. 19. Luc. Verè, ait, memorabile diuinae operationis insigne, vt aduersum se testimonium extorqueatur inuis: cum Deum uegant affectibus, quem uocibus constituent; paucos post dies erant Iudaei clamaturi: Tolle, tolle, crucifige eum, Ioan. 19. num. 15. Disponit tunc alta Dei sapientia, vt prius Christus iustus, & sanctus acclameretur: Hosanna Filio David, Benedictus, qui venit, &c. Ne quis de illius sanctitate dubitare posset, cum ab hostibus Sanctus appellaretur; ac si eximia Christi innocentia non posset efficacius suaderi, quam dum etiam inimici ueritate cogente, eam praedicant, & testificant.

75.

Ambrosius.

Ioan. 19. Efficax testimonium ab inimicis.

Quartò D. Bernardus serm. 2. in Dominica Palmarum: O quam dissimile, ait, est, tolle, tolle, crucifige eum; & benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis. Quam dissimile, Rex Israel; & non habemus Regem, nisi Caesarem; quam dissimiles rami uirentes, & crux; flores, & spina; cui prius sternebantur vestimenta aliena: Ecce suis exiit. Hoc facto proposuit Dominus ridendam esse mundi gloriam, sciebat Dominus, quod ab illis, a quibus tam honorifico comitatu excipiebatur, quinta post die crucifigendus esset, & tamen non respuit talem honorem, vt omnibus fieret documentum, vt nullus mundanae gloriae fidat, cui prius sternebantur vestimenta aliena: ecce suis exiit. Vide supra cap. 29. n. 75.

76.

Bernardus.

Nullus fidat mundana gloria.

Quintò D. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 26. Ipsi autem, ait, clamantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini, resiliunt tamen, nunc principum Romanorum amplexi, & iugum veri Dei reijcientes. Hoc enim plane significant dicentes: Non habemus regem nisi Caesarem. Sed tunc a populo, & a simplicioribus ut Deus, Christus laudabatur: nunc uero

77.

Cyrillus.

uero consilio, & clamore Pontificum regnum Dei exciuit. Honorifice magnis uocibus per aera intonant regem acclamantes: Benedictus, qui uenit; cum tamen post quatuor dies, regnum negant; & in Pilati praetorio testificant: Non habemus regem nisi Caesarem, Ioan. 19. num. 15. In quo adeo uehementer perseuerarunt, vt à sua impietate non desisterent, quousque Dominum in crucem agerent. Cur sic pertinaciter persistunt in inferenda ignominia, cum à gloria acclamata tam facile murentur? Tantis applausibus, ac gloria acclamata, Benedictus populari imperu, ac multitudinis affectu introducta est, inde facile resiliit, & non durat; at ignominia crucis seniorum, ac Pontificum consilio irrogatur, & ideo usque ad mortem perdurauit. Tunc a populo, & a simplicioribus ut Deus, Christus laudabatur: nunc uero consilio, &c.

78. Bernardus. Christo passio ex praesenti acerbior.

Cant. 5.

79.

Psal. 136. Praeterita felicitas aggranat captiuitatem.

Chrysof.

Sextò D. Bernardus supra citat. Quid fuit, ait, quod processionem habere uoluit, qui mox futuram nouerat passionem? Fortè ut amarior esset passio, quam processio praecessisset. Ad quid ante mortem tantus triumphus? vt post illum amarior esset passio. Tanta charitate Christus amaram mortem appetebat; vt ex temporis circumstantia, ac ex proximè peractò triumpho amariorem, ac duriorè subire uellet. Messius, anima Sancta, myrrham mean cum aromatis meis, Cantic. 5. n. 1. Tanquam si diceret amarissimam passionis myrrham cum praecandis gaudiorum aromatis coniungi, vt inde passionis myrrha, ad gaudia consequens, durior, & acerbior esset.

Ab omnibus suis bonis expoliati Hebraei ducebantur in miseram seruitutem Babylonicam, tamen organa, ac instrumenta musica secum deferrebant: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra, Psal. 136. num. 2. Cur organa secum ex captiuitate in patriam portant, quibus futurum erat, vt nunquam exilio uerentur? Sic Dei iudicio dispositum est, vt Hebraei praesenti illa captiuitate ex memoria praeteritae felicitatis durius, ac acerbius pungerentur, ac torquerentur. D. Chrysofomus ad praedictum Psalm. Hoc fuit a Deo, ait, pronisum, ut uel in aliena regione haberent monumenta prioris reipublicae, magisque morderentur, & agrius ferrent, dum religionis, & Dei cultus illa signa uiderent. Vide supra cap. 29. n. 134.

QUESTIO XIV.

Quare turba strauerunt vestimenta sua in via?

80. Hieronimus. Ex operibus pietatis impensis euertitur mala.

81.

Abulensis.

IN praesenti, ait D. Hieronimus, quod turbae, quae Christum fuerant secutae de Iericho, supposuerunt vestimenta sua pedibus asini, necubi offendat lapidem, neque calcet spinas, neque labatur in foueam, etsi haec ratio optimè possit ad mores adaptari, nam ex operibus pietatis impensis euertamus spinas, & foueas peccatorum ne labamur, tamen illa non est multum cohaerens litera, quia minus offenderet asellus incedens per uiam nudam, quam uestibus operam, ac ramis plenam, tunc enim facilius asinus laberetur in foueam.

Ratio ergo literalis, vt dixi in expositione, est hoc esse factum in eximiam reuerentiam, & honorem erga Christum, nam vt ait Abulensis q. 38.

Non potest aliquis alium magis honorare, quam quod ea, quae sibi chara sunt, ei impendat: homines autem maxime diligant uestes, quibus honorantur, & ideo eas nitidas, & mundas seruari cupiunt, nullum autem potest esse maius amoris, ac reuerentiae argumentum, quam quod homo alterius pedibus lubiciat, id quod ei multum inseruit ad honorem, ac decorem, vt sunt unicuique sua uestimenta. Vnde ait Euthymus in Matth. Excellenti modo illum, scilicet Christum, honorarunt. Nam & modico ante tempore, cum Lazarum suscitasset, magnam apud eos reuerentiam acquisiuit.

Magnus amor, quod homo impendat, quae sunt sibi chara.

Euthymus.

82. Victorinus.

Secundò Victorinus ad cap. 4. Apocal. Alij praecisis ramis palmarum uiam sternebant, alij uincas suas subiciebant: duos scilicet populos ostendentes, unum scilicet Patrum, & alium Prophetarum magnorum uirorum, qui quascumque habebant palmas uictoriarum contra peccatum, uictori omnium Christo eas sub pedibus iaciebant. Expende uetulum, Magnorum uirorum. Cum uestimenta sua, ac temporalia abiiciunt, uni Deo obsequium praestent, ipsumque omnium uictorem acclament, praecellè uiri declarantur, hoc enim est, Magnorum uirorum.

Magnorum est Deo dare uictoriam.

83. Paschasius. Christus in Eucharistia multa puritate suscipiendus.

Tertiò D. Paschasius in cap. 21. Matth. Ne asellus, ait, in quo sedebat, terram calcaret nudam. Diuino Spiritu afflata turba uiam floribus, ac frondibus ornauerunt, non solum ut nihil turpe, ac indecorum Saluatoris oculis obiceretur, sed etiam ne asellus, quo ferebatur, terram nudam luto, ac puluere foedatam attingeret, quod ad maiorem decentiam, ac honorem est excogitatum. Ex quo perpense quid facturi essent, si pedester, vt consueuerat, adueniret, ex quo recogita, quanta puritate, ac decentia ornanda est anima, vt Dominum valeat suscipere, vt in ea inhabitetur.

84. Drogo. Nostra misericordia prouocatur Deum ad impendendam misericordiam.

Quartò Drogo de Passione Domini. Sacramento: Egredere, ait, cum pueris Hebraeis, qui transeunt simpliciter in occursum Domini, sterne in uia ramos oliuarum, & opera misericordiae pedibus eius accommodes. Ramis oliuarum, quibus mons Oliueti abundabat, & misericordiam significant, ad Domini pedes proiciunt, vt operibus misericordiae impensis Dominum alliciant, ut illi misericordiae, & indulgens affulgeat, ac ueniat, dimittens eorum peccata.

85.

Hilarus.

Quintò D. Hilarus Can. 21. in Matth. Apostoli quoque, ait, excisarum arborum ramos post uestimenta substernunt: sed nulla in hoc est humani officij reuerentia: Rami enim incedentem impediunt, & implicitum iter facerent properantis ingressi: Verum explicatur omnis ratio prophetiae, & futuri forma seruat: igitur infructuosarum arborum rami, id est, infidelium quondam Gentilium fructus per Apostolos itinere Domini substernunt. Cur turbae, ac Apostoli proiciunt ramos, ac uestimenta in uia, cum hoc esset impedimentum ad uiam, ac iter agendum. Rami enim incedentem impediunt. Ad quid ergo? Pro mysterio sanctè. Rami illi cum essent pomis, ac fructibus expoliati, praefigurabant eam, quae de uerbis tantum est fides, bonis carens operibus; & ideo ramos sine fructu non gestant uertice, vel manibus, sed proiciunt in uia, vt innuatur, quod fides sine operibus mortua est, & ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Infructuosarum arborum rami, id est, infidelium quondam Gentilium fructus per Apostolos itinere Domini substernunt.

Fides sine fructu operum ad nihilum ualet.

Germanus.

86. Gen. 1.

Germinet terra, ait Deus, herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, Gen. 1. n. 11. Verno tempore creatus est mundus, ac proinde prodierunt arbores cum foliis, & fructibus, ac pomis, vt est communis Patrum sententia; cur non sic creantur, vt primò prodirent stipites, deinde foliis vestirentur, ac tandem fructibus exornarentur, vt inde ab exordio arbores suam naturam ostenderent, ac illarum fructus in maiori essent æstimatione? Erant ligna in paradiso, & ideo non sine fructibus inueniuntur, præcipue cum ob foliorum ostentationem anathemate percussa sit ficulnea, quæ esurienti Seruatori cibos non ministravit? Marc. 11. num. 13. Et cur in paradiso sic exornantur arbores foliis, & fructibus, extrâ verò solum cum foliis apparent. Arbores in paradiso denotant fideles in Ecclesia, cuius symbolum est Paradisus; arbores verò extra hæreticos significant, vt est communis vox Patrum. Arbores, seu fideles in Ecclesia habent folia, verba nempe confessionis, & fructus operum. At verò hæretici verbis falsò crepant fidem, & eam operibus, & factis, omninò contradicunt, & negant. D. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 15. Bene autem, ait, scriptum est: germinat terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum fructiferum, faciens fructum iuxta genus suum: per terram quippe significatur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinijs umbraculo custodit: quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit: vt non solum herbam refectiois proferat, sed & cum fructu operis arborem protectionis.

Marc. 11.

Fides cum operibus in Ecclesia.

Gregor.

87. Psal. 46.

Fides socianda cum operibus.

Ait Regius Vates Psal. 46. num. 1. Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo omnis terra. Conuocat voces, & manus, vt cum otis confessione, coniungatur manuum operatio. Præclare ibi D. August. Quare manibus, inquit? quia bonis operibus: iubilate Deo in voce exultationis: voce, & manibus: si tantum voce, non bene, quia pigre manus: si tantum manibus, nec hoc bene, quia muta est lingua: concordent manus, & lingua: ista confiteantur, illa operentur. Vide in Indice, verb. Fides.

QUESTIO XV.

Quare dicitur: Hofanna Benedictus, qui venit in nomine Domini?

88. Abulcal.

RESPONDET Abulcal. quæst. 43. Quod turbæ per hæc tria significare vulerunt. Primò, vt eum Messiam, & Regem ostenderent, cum dicunt filium Dauid; vt patet ex his, quæ dixi de Chananæa, & cæco Iericho. Secundò, eum laudauerunt bona imprecantes; nam, Hofanna, relictis multis, quæ circa hoc nomen congerunt Recentiores; id est, salus, vita, seu prosperatio sit Filio Dauid, idem est ac apud nos. Vinat Rex, vt iam dixi. Tertio, Sibi ipsis bona petunt dicentes: Hofanna in excelsis. Hoc est, da nobis salutem, & vitam, quæ est in excelsis. Et hoc est etiam, quod dicunt: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hoc est, vt etiam nos benedictos, & sanctos facias.

89.

Rex dicitur benedictus.

Nota etiam quod modò Christus Dominus cum morti est proximus tunc multum ab omnibus extollitur, ac laudatur; non enim laudandus est homo, nisi in vitæ fine. Et cum Rex acclama-

tur, ab omnibus benedictus profiteretur, magnæque turba populorum cum multo applausu, eum sequitur, ac comitatur.

Secundò. A Regio Vate vaticinatum est: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, Psal. 8. num. 3. Non ait fecisti, seu absoluisti. Quæ propheta adimpleta est hodie clamantibus pueris. Hofanna Filio Dauid. Quo videtur perfecta, & consummata laus Angelorum laudantium, ac dicentium: Gloria in altissimis Deo, Luc. 2. n. 14. Lyranus ad citatum Psal. Diuinitas Christi, ait, fuit confessio ab Angelis confessione laudis ab hora natiuitatis, sed laus ista fuit perfecta, quam pueri in templo clamabant confitentem diuinitatem Christi: Hofanna, id est, salua obsecro in excelsis: salutem enim nullus dat nisi Deus. Chorus Angelorum gloriam Deo decantat: Gloria in altissimis Deo. Laus tamen ista non erat consummata, & perfecta, cum eum non vt Saluatorem commendaret. Perficitur ergo laus, cum pueri acclamant: Hofanna salua obsecro. Altius enim Deum extollit, excellentiùsque ipsum commendat, qui Saluatorem, quam qui Deum, vel Creatorem dicit. Salmeir. tom. 3. tract. 37. Plus est, ait, Saluator, quam Creator. Si quidem plus est suscitare mortuum ad vitam, quam viuum generare. Vnde Christus apprensus Paulo, ait: Ego sum Iesus, quem tu persequeris, Actor. 9. num. 5. Beda: Non Deum, vel Dei filium se vocat, sed vt ait D. Bernard. Ego sum Saluator, quem tu persequendo petis. Ac si amplior, & augustior esset Saluatoris, quam Dei nomenclatura erga ipsum Deum; nam Dei nomine significatur eius maiestas, Saluatoris verò illius beneficentia, ac pietas in nos.

90. Psal. 8.

Luc. 2. Lyran.

Maxima Christi laus, quod noster sit Saluator, ac Redemptor.

Salmeiron.

Actor. 9. Beda Bernard.

Tertio. D. Cyrillus Alexandr. homil. in Nestorium, sic Dei matrem salutatur: Salue mater, ait, & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini. Clamant pueri: Hofanna Filio Dauid. Hoc est, vita, salus, & prosperitas sit Filio Dauid, & inde subdunt: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Ex benedicta Dauidica prole per Virginem Mariam eum benedictum, sanctum, ac pium proclamant. Ait Elisabeth ad Virginem Mariam: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, Luc. 1. n. 42. Prius matrem dicit benedictam, deinde fructum benedictum appellat, nam quamuis Christus Dominus, vt pote Dei Filius sit per naturam benedictus, & sanctus, tamen cum sit Filius Virginis Mariæ peculiari modo dicitur etiam benedictus. Nam vt ait Seuerus in Catena S. Thomæ: Omnis fructus est eiusdem nature cum planta. Cum ergo ex Virgine benedicta, ac sancta esset natura humana assumpta, inde etiam quædam species benedictionis, ac sanctitatis in fructu dignoscitur, & acclamatur.

91. Cyrill.

Ex Virgine benedicta Christus quondam speciem benedictionis, ac sanctitatis vendicat. Luc. 1.

Seuerus.



CAP. XLI.

Fletus super Ciuitatem.

Luc. 19. n. 41. Et vt appropinquauit, videns Ciuitatem fleuit super illam, dicens:

Num. 42. Quia si cognouisses & tu, &

& quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

VERSIONES.

Euthym. n. 41. Postquam appropinquauit intuitus Ciuitatem fleuit super illa.

Syriacus n. 41. Nempe si tu nosse ea, quæ sunt ad pacem tuam, vel saltem isto die tuo, nunc autem occultata sunt ab oculis tuis.

Vatabl. Orig. O si cognouisses & tu, & quidem hoc die tuo, quæ ad pacem tuam pertinet, curares, nunc autem occultata sunt ab oculis tuis.

Arabicus. Et in hac die, quantum est tibi in ea pacis.

S. Epiphanius. Nunc autem absconditum est tibi.

EXPOSITIO I.



T vt appropinquauit: Ciuitati scilicet Ierusalem, in qua tanto applausu, ac triumpho ingrediebatur, in die palmarum, vt supra est explicatum: Videns Ciuitatem; seu vidit ciuitatem. Descendentibus enim è monte Oliueti occidentem versus, proxima Ierolyma, tota erat in prospectu; viditque illam, vt inquit D. Bonauent. & Cardinalis Hugo non tantum oculis corporis, sed etiam pietatis affectu. Et maxime obseruandum, quod Romani eodem in loco, in monte nempe Oliueti castra sua posuerunt, & eodem ferè die, proximè ante Pascha ciuitatem obsidione circumualant, vt de loco testatur Iosephus lib. 6. de Bello cap. 3. de die verò subsequente cap. 4. Fleuit, vt homo, non quod fletum inuitus pateretur, sed sponte ipse sibi imperauit, ostendens scilicet suæ pietatis viscera erga eam.

Bonauent. Hugo.

Iosephus.

Gregor. Beda. Carthuf. Zach. 9.

Iansen. Barrad. Burgenf. Cornel.

Euthym.

Dicens: Quia si cognouisses. Tu ò filia Ierusalem, sicut ego intueor, & cognosco, vt explicant D. Gregor. homil. 39. Beda, Carthusian. In hac die tua, qua ego ingredior ad te vt Messias verus pronuntiatus per Zachariam 9. num. 9. Ecce Rex tuus venit tibi: in salutem, & bonum tuum, quæ ad pacem tibi. Sub nomine pacis omnis prosperitas, felicitas significatur; Verba autem hæc, quæ ad pacem tibi, referuntur ad illud, Si cognouisses; ac si dicat, si cognouisses, quæ ad pacem, ac bonum tibi sunt, vtique fletes, sicut ego fleo, tua scelera, ac crimina, meque tuum Messiam verum recognosceres, vt æternam damnationem, ac imminentem excidium tuum per Titum, & Vespasianum euitares. Et notandum est, cum Iansenio, Barrad. Luc. Burgenf. Cornelio, quod cum ait: quæ ad pacem sunt, abruptus est sermo per recitantiæ ex dolore loquentis, vt ait Euthymius: Desolatum est sermo, consueuerunt enim flentes, verba

pre affectus vehementia abrumperet. Ac proinde suppleta est oratio, si cognouisses, aliter te habuisses. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Vt inquit Titus, & Eusebius in Catena, quod de industria scire nolueris. Quæ nempe ad pacem tibi sunt data, vt Incarnatio, prædicatio, ac Passio Christi, sicut & tua perfidia, ac cæcitas, in cuius vindictam veniet tibi excidium per Titum. D. Gregorius homil. 39. Si mala imminetia videres, lata in presentibus prosperis non esses.

Titus. Euseb.

Gregor.

QUESTIO I.

Quare Dominus deflet super ciuitatem?

RESPONDET primò Theophylactus: Ostendit, ait, viscera misericordie per fletum. Quod enim miserebatur eis, & non solum ante crucem, sed post crucem. Euthym. Ciuitatem, ait, Ierusalem propter immensa vitia destruentiam, humano modo Christus præ mensura sua bonitate deflet: etiam hinc ostendens qualia haberet erga ingratos viscera. Quod maxime confirmatur; non mortem suam proximè impendentem, sed Iudæorum deflet interuentionem longè distantem.

Theophyl.

Euthym.

Secundò. Teophylact. Flet Dominus, ait, stupiditatem ipsius Ierusalem, eo quod ipsum non cognouerit. Deflet Dominus Ierolymitanorum cæcitatem, obdurationem, ac ingratitude, eo quod se Saluatorem, ac Messiam recipere noluerunt, & quæ maior lachrymandi causa, quam ad intuitum, ac præsentiam remedij, & salutis perire, ac in perditionem ire: resuscitatus Dominus Lazarum: Lachrymans est Iesus. Quænam causa fletus in ratione tanti gaudij amici? Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos, & collegunt Concilium. Lachrymas fundit Dominus videns, quod stante tam magno miraculo, quod quattuordecim refurgat in vitam, ipsi in sua nequitia, ac peruersitate obfirmati erant. D. Augustinus serm. 104. de tempore: Propter, ait, Iudæorum stobat incredulitatem, quia resurgente Lazaro non erant credentium. Pro quo nota, quod non ait Euangelista, quod videns à longè fleuerit, sed quod cum appropinquasset, approximante enim remedio, tunc interitus, & perditio maiorem dolorem instigunt.

Theophyl.

Perditio approximante remedio, magnum dolorem excitat.

August.

Tertio. Carthusianus: Videns Iesus Ierusalem, eiusque pulchritudinem exteriorem defleuit ipsius culpam, & penam non tam temporalem, quam æternam. Videns Ciuitatem lachrymabatur Dominus, non tantum illius excidium futurum, sed potius peccata, quæ tanta ruinæ causa extabant. Hoc enim interuenit discrimen inter mundanos, ac iustos, nam illi mala penæ, hi verò culpæ noxia deplorant. Vide supra cap. 12. n. 62. 63. 64.

Carthuf.

Mundani dolent de penâ, iusti de culpa.

Quarto. D. Gregor. homil. 39. in Euang. Fleuit enim, ait, pius Redemptor ruinam perfide ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam. Cum enim carnis se voluptatibus daret, ventura mala non prospiceret in die sua, quæ ad pacem esse poterat, habebat. Maxime gloriabatur, & exultabat florida ciuitas, cum esset plena populo, ac diuitijs, solumque in suis bonis temporalibus considerabat suum externum splendorem; at verò Iesus in illo florido statu nihil videbat, nisi vt fletet, considerabat enim imminentium malorum acerbicatem, extremamque eius ruinam contemplantur; nam & si mundani in suis bonis lætantur,

Gregor.

Mundani exultant in bonis, de quorum malis iusti dolent.